ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissimo viro D. Constantino Hugenio, Eq. 113.
Zulichemi domino C. Barlaeus S. P. D.

Acquiesco, clarissime Hugeni, et tibi quinto congressu succubuisse glorio-
sum arbitror. Solent pueruli sacerdotes vocare boves, qui ad primum
ictum procumbunt. Tu me non primo, sed quinto ictu stravisti et bovem
fecisti (mutiorem.. Hoc tamen solatio est, me, si cado, Aeneae et Constan-
tini dextra cadere. O salutares aquas, quae genium summi ingenio-
rum in me concitaverunt, sine amicitiae naufragio. O salutarem
metum, qui audacem me fecit, ut responsarem viro in~~x~~ sanctae
eruditionis et solidissimorum acuminum. Crescit tibi scribendo
carminis vis, et pungis in extremis acrius. Mihi vadum torpet
et hebescit. Abrumpendus ergo coeptae contentionis funiculus, nec
serra ultra traducenda per illam lineam. Si tecum non conscendi
turbidum & procellosum Yam, conscendi ~~[illegible]~~ Hippocrenes et Aga=
nippes rivulos. Si horrui fluvium, non horrui Castalios lacus.
Si ignominiosum putas, aquas metuere, est metus ille morbi
potius, cujus meminit Ovidius:

Tollere nodosam nescit Medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Noluit Pythagoras se aquis credere, ne anima, quam ille
igneam fecit, aquis mersa extingueretur, & desineret esse
ambulatoria. Et cujus quaeso est illa exclamatio? O terque
quaterque beatos Queis ante ora patrum &c. Eius est, qui
ab aquis sibi metuebat, nec minus ob fortitudinem laudatur.
Cujus illa? Di maris et coeli Solvite quassatae parcite
membra ratis. Nasonis est. Ut iam me exemplo philosophorum,
et Ducum et vatum tuear: Quare non detrecto vocari amans
strenuus, modo me non absorbeat mare Thracium: non
renuo vocari prudens philosophus, modo credas, me malle in
terris vivere, quam in aquis a morte abesse digitis quatuor
aut septem. Sim tibi fortis vir, modo me futura conjux
sentiat esse fortem virum, tunc potissimum, cum pretium
grati ~~medicae~~ nupta laboris erit. Hac scaphula vehi malim, quam
ista Argo, quae à sublimi cubiculo nomen habet. Nec
enim illa vectores plures habet, quam unum, cum haec
exhibit Cynicos, Satyricos, Dentatos, qui ὑδροφοβίαν
meam tam salse, tam acute, tam docte et copiose
perstrinxerunt, ut metus mihi non sit à putredine. Quare
ut incoepi dicere: Accipio responsionem. Praetoriae tuae

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 113
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1413

navi submittit vela lembulus meus: Imperatori summo assurgo gregarius: amatori maximo proletarius pater, viro peritissimo et masculorum genitori, sterilioris sexus pater.

Vale praestantissime, disertissime & acutissime vatum, et jocantem Barlaeum perge perspicere, ubi sinunt aula, princeps, castra. Postremum valere et salvere [illegible] Dominam

pelago dux femina facti.

Amstelod. Ipsis Cal. Sextil. CIƆIƆCXXXI

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 113
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1413

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 113
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1413